

*

X X I X.

Sebastianus Maccius Durantinus, de quo in præfatione diximus, Inscriptionem hanc cum Pisarenisibus communicavit, & repertam inter Veteris Castris Ripensis rudera apud se asservari tetatus, vulgavit lib. I. de Portu Pisaur. Cap. XV., in quo Peregrina Marmora ad nos spectantia congessit. Opus illud de Portu Pisauri licet publicam lucem numquam aspexerit, in plurium tamen eruditorum manus pervenit, & præsertim doctissimi Luca Holtenii, ut mox videbimus. Non defuerunt ex nostratibus qui putarent hanc Inscriptionem a Maccio confictam: in primis Petrus Rastellius Medicus Pisarenis Maccio æqualis eam purum putum Maccii (*) figmentum esse pronuntiavit. M. quoque Antonius Gozze ex sua Collectione, in quâ illi locum dederat, liturâ expunxit

De Accia gente agemus, juvante Deo, in libello *de Viris Illustribus Pisarenisibus*.

PAL. Palatina tribu, in quâ etiam censebantur Pisarenis V. n. XXX.

PAT. III. F. M. Prompta esset, & expedita interpretatio *Patrono Trium Familiarum Monetariorum*. Sed quænam in his Civitatibus Familiz monetariorum? Illud quoque in mentem venit *Patrono Trieris Fama* vel quid simile; Sed quis Patronos Trierem producere audeat? Fortasse male descripta fuit Inscriptio atque ita emendari debet PAT. COLL. F. N. *Patrono Collegii Fabrum Navalium*. At ipse Maccii Codex habet PAT. III. F. M. Frustra igitur in hac Inscriptioe emendanda laborem suscipimus.

PATRONO MVNICIPI N. Municipii nostri; Castris Ripensis, ejus nempe, a quo M. Accio Inscriptio posita fuit.

OB RESIT IN STLIT. IVD. Stlitibus (ita enim Veteres pro *litibus*) judicandis præfuit M. Accius. Ex decem viris Magistratum hunc constasse, & Veteres Scriptores, & marmora antiqua testantur. Non deest tamen exemplum II VIRI STLIT. IVD. apud Grut. p. CCCCLXXVI. 3. & III VIRI STLIT. IVD. p. CCCXXXVI. 7.

AGRVM METAVR BELLOR. INCENDIIS AMISS. Restitutum fuisse a M. Accio, dum ÆVir stlitibus judicandis esset, Agrum

(*) In Rastellii sententiam manibus pedibusque concedet quicumque Maccii opus inspexerit de *Bello Hasdrubalis* lib. IV. pag. 59.